quo saluari debeat. propter quod stultus est qui dicit volo
facere quod placuerit quia si saluari debeo saluabor
uel si dampnari debeo dampnabor. Sic stultus esset
infirmus qui diceret. Volo comedere et bibere quod pla-
cuerit quia si curari debeo curabor. uel si mori de-
beo moriar. Sic enim essent inutiles medicine.
Sane si deus permittit liberum arbitrium quod se habet ad
utrumlibet in malum cadere. hoc non permittit nisi uel-
le. Rursus per gratiam preueniat nulli facere iniuri-
am. Cum sic deus malos dampnat et reprobat operatur
ex iusticia. Cum uero predestinat agit gratiam
et misericordiam. que non excludit iusticiam. De prescientia

Reprobatio est dei et reprobatione. xxxi.

Reprobatio ut ait Augustinus prescientia iniquitatis quorundam et
preparatio dampnationis eorundem. Unde notandum quod in re-
probatione tria sunt. Unum est prescientia iniquitatis ab
eterno. Aliud obduratio id est subtractio gratie in
presenti. Tertium preparatio pene eterne in futuro.
Sicut econuerso in predestinatione sunt tria contraria. Sed in hoc est
differentia. quia predestinatio preparat gratiam ex beneplacito.
sed reprobatio preparat penam ex exigentia meritorum.
De obduratione sciendum quod translatiue dicitur ad similitudinem
obdurationis in corporibus. Duriciam corporum sequuntur
triplex proprietas. Prima est inhabilitas ad susceptionem
impressionis. Secunda est stabilitas ad permanendum in se. Tertia est fortitudo ad resistendum.
His modis dicitur cor obdurari triplex. uno
modo per inhabilitatem ad suscipiendam gratiam.
Secundo modo per firmam adhesionem ad peccatum.
Tertio modo per rebellionem diuinarum inspirationum
et mandatorum. De uoluntate dei. xxxii.

Voluntas dei duplex est. scilicet uoluntas
beneplaciti. et hec est duplex. Antecedens.
que sepe non expletur. Et consequens que est ipse
deus. hec numquam remanet inexpleta. Volun-
tas beneplaciti dei consequens est recta et effi-
cax et irreprehensibilis. Unde quia recta est nullus
rectus est nisi conformetur ei. Item quia est efficax non

sine illa potest effici. nihil sine illa potest fieri. per nullum potest
impediri. Item quia est irreprehensibilis non precipit
aut permittit nisi iuste. non agit aut consulit
nisi bene. Signa beneplaciti sunt v. videlicet
preceptum. prohibitio. consilium. permissio. et operatio.
Conferuntur prima tria ad p̄ fi. quia se habent ut infi-
nita. sed ultima duo scilicet permissionem et operationem
ad p̄ fi. quia se habent ut infectum esse. et quod fac-
tum est non potest non fieri. De hiis signis notandum
quod preceptum dicit obligationem ad faciendum bonum.
prohibitio notat obligationem ad uitandum malum.
Consilium dicit doctrinam per quam sciuntur quod id quod
consulitur si fiat affert premium. si non fiat non af-
fert supplicium. Permissio dicit priuationem cohi-
bitionis. et est signum diuine uoluntatis non
respectu mali quod permittitur sed respectu boni quod ex
malo permisso elicitur. Non enim permittit deus
malum fieri nisi ex eo bonum eliciat. ut patet in temp-
tationibus diaboli quas sanctis prosunt multipliciter. Prete-
rea si non esset malum non esset in bono non placitu-
do absoluta. nunc uero propter operationem ad ma-
lum bonum clarius elucescit. Operatio notat
factionem in re per quam refertur creatura ad
creatorem. De conformitate uoluntatis
nostre ad diuinam sciendum quod si hanc attendimus in forma
uolendi. tunc si uolumus habere mercedem nostri oper-
is. oportet quod semper conformemur ei in forma uolendi.
Si autem queritur utrum absolute teneamur ad hoc
dicendum quod est conformitas in actu. ad quam non te-
nemur nisi habita caritate et non tunc nisi pro tempore
et loco. ut quando quis cogitat articulos fidei
tenemur credere. quando cogitat dei bonitatem tenemur
diligere. Est alia conformitas in habitu. ad quam
non tenemur quis non quando actu bonitatem dei re-
cogitat. quia tunc tenemur se ad caritatem prepa-
rare. De conformitate autem in uolito sciendum
quod uoluntate sensualitatis non tenemur conformari uoluntati
diuine. neque in uolito. neque in modo uolendi.

Lizenz: CC-BY-NC – Aarau, Aargauer Kantonsbibliothek, MsWettF 15, f. 13r – Hugo Argentinensis; Guilelmus Rothwell
(http://www.e-codices.ch/de/kba/WettF0015/13r)